

Methodi cognoscendi et curandi affectus particulares ... disputatio I. de dolore capitis / [Adamus Haberkorn].

Contributors

Haberkorn, Adamus, active 1640.
Rolfinck, Werner, 1599-1673
Universität Jena

Publication/Creation

Jena : B. Lobenstein, 1640.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gzteukcn>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

3036
D. O. M. A.
METHODI COGNOSCENDI & CURANDI
Affectus particulares Hippocraticis & Her-
meticis principiis illustratæ,

DISPUTATIO I.

DE

DOLORE CA-
PITIS,

Publicæ disquisitioni subjecta
IN ACADEMIA JENENSI,

PRÆSIDE

WERNERO ROLFINCK

Hamburgense, Philosoph. & Medicin.

Doctor. Professore Practicæ

& Chimiæ Publico,

â

RESPONDENTE

ADAMO HABERKORNIO CIZ.

In Auditorio Medicor.

JENÆ,
Typis BLASII LOBENSTEINI.
M. DC. XL.

METHO DI COGNOSCENDI & CURANDI
AFFE CTUS particula res Hippocraticas & Galenic
DE
DISTINCTIONE

DOLORICA
PILIS

Publica disputatione inchoata
IN ACADEMIA JENENSIS
Praeside

WERNERO ROLLINCK
Hamburgensis Philologus & Medicus
Doctor Publicus & Præceptor
& Chirurgus Publicus
2

RECTORIBUS
AD NO STRA BERKONIA CIVITATE
M. D. C. C. C. C. C.

JANUARI
In a. d. 1751. Martii
M. DC. XL



METHODI PATHOLO- GICÆ PARTICULARIS

LIBER I.

DE

AFFECTIBUS INTERNIS,

& I. CAPITIS, ejusq; nobilissimæ partis
capillatæ, quæ cerebrum amplectitur,
in genere.

Homo ad agendum & cōtemplandum
natus, sicut cæteris animalibus præstat, & tempe-
raturæ excellentiâ, partiumq; pulchritudine; ita
deterioris est conditionis, quod pluribus malis,
dum vitali fruitur aurâ, subjiciatur. Incertum ac
fragile nimium est delicatum Naturæ munus Vi-
ta. Infinita morborum seges præ foribus expectat, lecto surgen-
tem, domo exeuntem, rure redeuntem, non parcit vigilanti, neq;
alto somno oppressus illius effugit minas. Quàm primum ex ma-
ternâ eluctatus alvo lucem intuetur, â fletibus orditur vitam, præ-
sagus nullam horam ab inimicis insultibus fore tutam: hoc ex-
peditur puer, huic adolescens, juvenis, senex fato subjicitur.

Horum, qui INTERNI vocantur, visceraq; & partes nobi-
liores suis regionibus circumscripta impetunt, quidam universum
corpus; ut Febris; quidam determinatas partes, â quibus deno-
minationem sumentes, affectus particulares vocantur, occupant;
ac tribuuntur quidam supremo, quidam medio, quidam infimo
ventri, aliqui autem artubus.

Horum Anatomiam, & per quas vias mors microcosmum
ingrediatur, ut cum Paracelso lib. 1. de orig. morbor. ex tribus primis sub-
stantiis, c. 6. loquamur, ostensuri, initium faciemus ab affectibus ca-
pitis

pitris internis, ejusq; partis capillatæ, quâ cerebrum, regia men-
tis sedes circumvallatur; cujus actiones nobilissimæ, tam propriæ
quæ ab animali, uti cognoscens & motrix: quàm communis, quæ
â naturali facultate dependet, uti nutritio, variis modis læduntur,
& non parcam morborum & symptomatum decantatissimorum
classem constituunt.

DE AFFECTIBUS CAPITIS IN SPECIE, & primo de illo, qui Facultati COGNOSCENTI MINISTRANTI, sensui tactus acci- dit, videlicet.

DE DOLORE.

Hic cum creberrimus sit, â levi causa facilè inducatur, meri-
tò prima tenet sublellia.

NOMEN obtinet â symptomate, & parte affecta, teste Galen.
2. Meth. med. c. 2. ubi refert κεφαλαλγίαν inter morbos, qui â sympto-
mate, & parte affecta nomen acceperunt. Galen. 3. loc. aff. 9. dolorem ca-
pitis tribus distinguit nominibus: κεφαλαλγία quemcunq; do-
lorem exprimit. Duobus reliquis ceteræ dolorum proprietates in-
digitantur. Ημικεραλία denotat dolorificam affectionem in
dextra vel sinistra parte: κεφαλαία dolorem diuturnum, gra-
vem, qui â parva occasione exacerbat. Hanc κεφαλαίας si-
gnificationem confirmavit 2. comp. med. s. l. c. 2. In veteratus est hic
dolor, diuturnus, & facili occasione vehementes habet accessiones, ut neq;
strepitum, neq; vocem clariorem, neq; luminis splendorem, neq; vini potum,
neq; motum agri tolerare valeant, sed in quiete & tenebris ob doloris ve-
hementiam decumbant, imò tanquam â malleo caput pertundi videtur.
Hæc Galenus. Hemikraniam & ημικεραλίαν nonnulli, non solum
dextræ & sinistræ, sed & anticæ & posticæ dolores notare volunt.
Dolor autem capitis â perfrictione propriè CRUDOR nominatur.
Nonnunquam doloris nomine ipsas affectiones, in quibus dolo-
mus, appellat Hipp. ut explicat. Galen. 2. aphor. 6. In genere

DEFINITUR Tristis sensatio partium capitis sensu tactus
præditarum, dependens â solutione continui, introducta â violen-
to tangibili, confertim & cum impetu agente. Huic generali de-
scriptio.

scriptioni, si conditiones superius propositas addamus, habebimus proprias cujusq; speciei definitiones. Sic Cephalalgia est tristis sensatio cujuscunq; partis capitis: Hemisrania dextræ vel sinistræ partis: Cephalæa est tristis sensatio, gravis, diuturna introducta à violento tangibili.

FORMAM, quæ GENERIS locum tueretur, esse TRISTEM SENSATIONEM, confirmat *Galen. 2. caus. sympt. c. 6. ubi nihil referre ait, an molestum an tristem, an laboriosum, dolorosum sensum appelles; sicut nec, si passionem ipsam molestiam, an tristitiam, an laborem, an dolorem, quibus vocibus & Plato promiscuè usus fuit, dicas.*

TRISTIS HÆC SENSATIO symptoma est actionis læsæ, non adeò quidem, ut penitus ablata sit, neq; adeò imbecilla est, ut imminuta dici mereatur, sed est depravata. Depravatur autem propter violentam, vehementem ac repentinam immutationem, ejus instrumento occurrentem.

In ea occurrit Facultas sentiens, quæ objectum sensibile, quatenus tactile, apprehendit: deinde concurrunt alia Facultas, quæ objectum sub ratione nocentis cognoscit.

Duo ad hanc & quamlibet sensationem concurrunt; Alterum ex parte objecti, alterum ex parte recipientis objectum. Facultas occurrit passivè; recipit enim objectum seu speciem. Concurrunt etiam activè, non modo enim recipit objectum, sed recipiendo cognoscit se recipere; Et dum hoc cognoscit, sub ratione tristabilis, fit dolor. Objectum, in ordine ad Facultatem habet rationem agentis, movet enim eam, movendoq; deducit in actum, & quidem corruptivum.

Duo concurrunt in dolore: Apprehensio & Judicatio, hæc fit agendo, illa patiendo. Materialiter, dolor ratione receptionis est Passio: Formaliter, ratione dijudicationis est Actio. ALTERATIO materialis in dolore duos habet terminos. 1. ALTERANTEM & sic motus appellatur, sive actio. 2. ALTERATUM, & sic est passio.

Dolor non est simplex sensatio, sed sensus tristis, perceptus à Facultate superiori: non solum sensus communis recipit ab externo sensu delatam impressionem, sed & imaginationis opera & mentis judicium accedit. Non consistit doloris essentia in simplici objecti apprehensione, sed potius in molestiâ, seu *αἰνία* qua-

Nam, quæ perceptionem objecti comitatur: unde rectè Campanella lib. 3. medicinal. art. 3. dolorem definit, quòd sit affectus sequens sensum presentis mali. Cum objectum in organum tactus agit, Spiritus animalis speciem objecti improporionati [ad cerebrum] defert, ut dijudicetur in primo αἰσθητικῶ. Requiritur Facultas superior ad hanc passionem dolorificam percipiendam, quæ nec corrupta, nec aliis rebus intenta, nec languida esse debet, ut colligitur ex Hipp. 2. aph. 6. Οκῶσι πνέοντες πτῆ σώματι, τὰ πολλὰ τῶν πόνων ἐκ αἰσθάνονται, τῆτοιον ἡ γνώμη νοσέει.

TRISTIS HÆC SENSATIO in dolore potissimum refertur ad TACTUM. Nam quamvis, ut prolixè declarat Galen. i. caus. sympt. c. 6. Dolor & voluptas omnibus, in sint sensibus, in tactu & gustu tamen magis luculenter adest: Hanc sententiam clarius proposuit de diff. sympt. c. 3. ubi docet: quod tactus egregium ἐξαίρετον præter ceteros sensus in actione sua symptoma possideat dolorem, & concludit: Maximi dolores sensus tactus contingunt &c. Dolor sensui tactus proprius sit in sensu tactus per se, in reliquis sensibus propter sensum tactu, per omnia sensuum organa diffusum. Objecta cæterorum sensuum non aliter inferunt dolorem, quàm quatenus virtute tangibilium, puta dividendo, vel divellendo partes organi separant.

Ex quibus liquet, dolorem esse tristem sensum, in sensu tactus, utpote magis materiali potissimum, rectèquè referri ad symptomata actionis depravata.

SUBJECTUM DOLORIS hujus sunt partes sensu tactus præditæ membranosæ, quæ sunt receptiva materia, seu sedes Facultatis sentientis, & hisce dolorificus sensus commodè assignari potest.

Inanemquè Chemicorum censuram, qui Spiritibus hoc ascribunt officium, arbitramur: Non enim Spiritus astralis per totum corpus diffusus, aut Balsami vitalis Spiritus est id, quod sentit & dolet πῶτως, sed anima sensitiva concurrente Spiritu animali. Partes verò nervosæ & membranosæ cum balsamo vitæ, sunt subjectum, in quod tincturæ salium agunt. Ipsa autem substantia cerebri non percipit doloris sensum παθητικῶς, licet ἐνεργητικῶς sit primum sensorium.

Dolor hic non nunquam est in parte externâ, & cum pili videntur

dentur dolere, nonnunquam internâ, & ad radices oculorum se extendit. Nonnunquam est **ΙΔΙΟΠΑΘΙΚΟΣ**, qui fieri potest vel per *πρωτοπάθειαν*, generata causa morbifica in ipso capite, aut per appulsum ejusdem causæ ab aliis, quæ extrinsecus veniunt; uti sunt insolatus, ictus, casus, lapsus, commota. *Ιδιοπαθικός* fit & jam per *δευτεροπάθειαν*, cum alterius partis vitio caput laborat, translata ad illud materiâ morbificâ, relicto priori foco, idq; accidit vel per *μετέπλωσιν*, quæ duplex, Critica salutaris *διαδοχή*; altera symptomatica, funesta *μετέσπασις* appellata.

ΣΥΜΠΑΘΙΚΟΣ nonnunquam est, fitquæ iterum duobus modis: vel per *ἐπιγένεσιν*, quando superstita priore foco propagatur causa morbifica capiti per venas, arterias, nervos: Vel per simplicem communicationem, quæ fit per generis similitudinem, operis societatem, vasorum communionem, sympathiam.

ΣΥΜΠΑΘΕΙΑΣ seu consensus naturam eleganter explicuit Avicenna, cum cap. 6. docet: Alium fieri cum **COMMUNITATE ABSOLUTA**, in qua nihil materiæ parti dolenti communicatur, propter solum nocumentum, hicq; consensus oritur per naturalem condolentiam: Alium verò fieri per *communiratem materierum*, quæ ascendunt ex toto corpore in febribus, ex ventriculo, splene, renibus, pericranio.

Prior consensus est condolentia simplex, locumq; habet in partibus, quæ *συμφύσει* nervorum junguntur, sic nervosæ partes consentiunt nervosis, ventriculo condolet cerebrum per nervos sexti paris, cerebri membranis utero. Posterior fit *κατὰ κοινωνίαν* & communicationem materiæ vaporosæ vel humorosæ, estq; clarissimus in illis partibus, quæ *συμφύσει* venarum & artiarum junguntur, sic cordi spleni cerebrum condolet per arterias; jecori per venas, utero per vasa maxima communicatâ materiâ. Qui consensus augetur, si adsit *ὁμιλία* seu vicinia, sic pulmones cerebro materiam facillè subministrare possunt.

Hippocrati 6. Epidem. comm. 1. t. 2. secundum Galenum elegans est sententia: *Ὁκόσισιν ἐξ ἀποφθορῆς πρὶν ὑτέρην, καὶ εἰδημάτων ἢς καρῆβαρὴν τρέπτει, κατὰ τὸ βρέγμα ὀδύναί μάλιστα.* Quibus ex abortu, aut uteri tumoribus, in capitis gravitatē permutatur in **sin-**
cipite

capite dolores. Galen. in comm. quod in ἀμβλώσει & abortibus capitis oriatur gravitas, rem ipsam sensibus apparentem docet.

Quod autem inter alias partes sinciput magis doleat, diversas adducit opiniones, quas tamen ferè omnes rejicit, & tandem veram causam subjungit: *Primò* quidem, quare ab UTERI affectibus CAPUT repleatur, causam refert in venarum constitutionem. Inter omnes, inquit, corporis partes, plurimas grandissimasq; v'nas uteri habent, cumq; eos aut menses, aut λόχια τὰ ὕστερα affligunt, sanguine compleri necesse est, hoc deinde putrescente, vapores ad caput mittuntur.

Verum, quare sinciput maximè doleat, quod illi, quibus artis opera curæ sunt, notum habent, non unam verissimilem, sed plures proponit rationes. *PRIMA ratio est ANATOMICA*, deducta à vaporibus calidis, quos per arterias in caput subvolare ratio ostendit: Arterias autem ipsas per collum ab utroq; infundibulo parte recta in sinciput discurrentes videre licet. *SECUNDA est*, quod sanitatis tempore tenuia & balitiosa cerebri excrementa per sinciput diffentur. Ibi enim futura laxissima, calvaria tenuissima, plurimis meatibus prædita. *TERTIA* adhuc circa eundem locum membrana plurima persuturas transeunt, quæ à fuliginibus illis ladiqueunt, hæc Galenus. *QUARTA* addi potest, quod sub sincipite sit infundibulum, glandula pituitaria, quæ si officio non satis faciant, restagnare queat colluvies vitiosa, unde dolores.

Quæ rationes non solum ostendunt, quare sinciput ab utero potissimum trahitur in consensum, sed & communiter ut plurimum doloribus infestetur.

Avicenna suo consensu hæc illustrat, docens: Dolorem per consensum ventriculi esse in anteriori parte sincipitis; per consensum epatis in dextra; per lienis, in sinistra parte, & qui fit ex causa hypogastrii, in anteriori, qui ex causa matricis declinare ad futuram coronalem, ubi sinciput terminatur, & fit ut plurimum post partum, abortum, menstruum retentionem.

Omnia quidem hæc sunt speciosa, at tamen sub certis artis regulis comprehendi nequeunt, neq; τὸ κατ' ἴξιν, aut diametralis oppositio in situ doloris semper observantur; quin potius promiscuè vapores, à quacunq; corporis parte subministrentur, nunc hanc vel illam partem implere possunt. Crebriores tamen sunt sincipitis dolores, siue originem præbeat jecur, ventriculus, lien, uterus.

CAU.

CAUSA IMMEDIATA doloris, ad cuius efficiendi rationem reliquæ omnes reduci queunt, unâ esse debet, illa autem intemperies esse nequit, nam plurimi dolores sine intemperie, ab aliis qualitatibus tactilibus excitantur: Non tamen hæ simpliciter, quæ tales, id præstant; Sic enim in omniensione fieret dolor, sed his oportet addere formalem rationem, quæ omni in dolore adfit, & sine qua nullus dolor fiat. Talis autem est ἐνέργεια tangibilis violenti in partem corporis cum impetu agentis, ejusque continuum solventis.

SOLUTIO hæc continui, λύσις τῆς συνεχείας, non est PERFECTA consummata in habitu; sed sufficit, si sit incipiens, in fieri, in ᾄεσαι, in viâ. Deinde est SUBITANEA, quæ magnis portionibus celeriter, quod Græci ἀθρόως vocant, incidat. Verumque confirmavit Galen. 1. Sympt. caus. cap. 6. ubi eleganter qualitates tactiles, cum dirumpendi corporis periculum adferunt, dolorem inducere ostendit. Non enim postquam aliquid divisum, ruptumve est, dolorem infert, sed in ipso fieri talia omnia doloris causæ evadunt. Et deinde subjungit: communem omnium dolorum in omnibus sensibus causam eam esse, quam assignavit Plato in Timæo paulo post mediam ejus dialogi partem, ubi agit de voluptate & dolore, dum ait: Τὸ μὲν παρὰ φύσιν καὶ βίαιον γινόμενον ἀθρόον, παρ' ὑμῖν πάθος ἀλγεῖνόν. Τὸ εἰς φύσιν ἄπρον πάλιν ἀθρόον ἡδὺ. Τὸ δὲ ἐνάντιον τέ τις ἐνανθῶς. Eandem subitam alterationem Platone antiquior innuerat Hipp. lib. de loc. in homine, ubi agebat: Τὴν γὰρ φύσιν διαλλασσομένοις ἐκάστοις, καὶ διαφθειρομένοις, αἱ ὀδύναι γίνονται. Illis, quorum natura alteratur & corrumpitur, sunt dolores. Voce corumpi hanc celerem & magnam mutationem intelligit, eamque à qualitatibus primis & à distendentibus, quæ dirumpendi corporis periculum adferunt, IN TACTU ET RELIQUIS sensibus fieri, exemplis, ostendit.

SOLUTIO hæc unitatis INCHOATA, est vel EVIDENS ad SENSUM, vel CONTEMPLABILIS RATIONE, pro ut tangibile violentum sunt vel qualitates primæ vel secundæ. In PRIMIS, cum occurrit excessus dolorificus, solutio continui est obscurior, alteratio autem manifestior, quæ tamen sola non est sufficiens, sed tum demum, cum solvit continuum. In SECUNDIS qualitatibus alteratio minus evidens, unionis solutio manifestior. Et hac ratione

Circa enim Jenerensis ab ineunte aetate ad dolores proclivis, in virili miserrime habens, & tandem epilepticis insultibus crebris obnoxius, mentis non satis etiam compos, post mortem dissectus, calvariā exhibuit ἀρραφῇ.

II. AD NON NATURALES pertinet AER nimis calidus radiis Solaribus expositus, à quo offensus filius Sunamitides 2. Reg. 4. NIMIS FRIGIDUS dolores auget teste Hipp. 3. aph. 23. fuliginibus carbonū; calcis parietibus illitæ refertus idē præstat. Si æstas sicca & Aquilonia, Autumnus verò humidus & Austrinus, capitis dolores ad hyemem. 3. aphor. 13. CIBUS & POTUS nimia caliditate vel frigiditate peccantes, flatusq; excitantes, AROMATA etiam, dolores excitant. SUFFITUS καρηβαρίας inducere, Hipp. 5. aph. 28. & Dodonæus in praxi, monent. EBRIETAS, quam victoria vini naturæ potentis parit, tantā dulcedine, ut magna pars non aliud vitæ præmium intelligat; VTRAQUE non solum quæ à calida vini αἰσθησιμώσα, in actu ingurgitationis, verum etiam quæ à pridianæ ebrietatis cruditate, quā nauseat ventriculus, vomituritq; κατὰ πάλιν ab Hipp. appellatā oritur, caput gravat. A STRICTIO nimia vestium recte adnotatur inter causas doloris; ONEROSA CAPITIS tegumenta, in infantiā illud valdè debilitant & ad dolores disponunt, teste Iacobo Carpo comm. in Mandin.

III. RES PRÆTER NATURAM, excessus secundarum qualitatum tangibilium amplecti possunt. Quidam, inquit Avicenna, Medici dixerunt, quod causa sodes sint VERMES in capite motu lædentes. Ipse autem id raro in membranis sed crebrius in anfractibus nasci fieri ait. Talis etiam sine dubio fuit vermis à Nobili Veneto rejectus ex naribus cessante cephalæa, cujus meminit Trincavella lib. 9. A LAPIDIBUS in capite genitis dolores intolerabiles vidit Kentmannus lib. de lapidibus. hi lædunt gravando & exasperando. INSTRUMENTA vulnerantia incidendo, VIRULENTA COLLUVIES in lue Venerea mordicando.

DIFFERENTIÆ assignari possunt I. RATIONE GENERIS, & modi, tristis sensationis, curiosè ab Archigene propositæ. Cerebriores sunt πόνος, νερκώδης, αἰμώδης, σφυγματώδης, βασύς, πονώδης, συγµατώδης, ὀξύς, ὀσσοκόπος, κνησιµώδης. Saporum nomina etiam doloribus attribuit, alium vocans αὔσηρον, dulcem, salum. Idem & satagunt Chimici, dum doloribus nomina exsaporum

rum discrimine desumpta accommodant. Galen. autem 2. loc. aff. c. 2. 3. 4 5. 7. multas differentias rejicit, imprimis autem c. 5. ostendit plurima ab Archigene proposita nullius esse momenti, eòq; collimat, has appellaciones non esse permutandas, aut doloribus saporum nomina attribuenda, cum doctrina quæpiam propria desiderat nomina. Si VEHEMENTIAM spectamus, alius dolor capitis est remissus, alius vehemens. DURATIONIS ratione, alius antiquus, alius recens, continuus; recens & remissus appellari potest κεφαλαλγία, vehemens, diuturnus κεφαλαῖα.

II. RATIONE SUBJECTI. Alius occupat caput totum, alius dimidium, & vel dextram & sinistram, vel anticam & posticam ejus partem, ἡμικεφαλή q; dicitur. Neque semper unum occupat locum dolor hic, alius enim in sublimi hæret, alius in profundo, alius ad radices oculorum exporrigitur. Non nunquam est ESSENTIALIS, nonnunquam oritur per CONSENSUM aliarum partium, quarum ratione & ipse variatur, estq; cum communitate absoluta, vel cum communitate materierum, quæ ex aliis partibus, ventriculo, jecore, splene adscendunt.

III. RATIONE CAUSÆ. Tot sunt differentie doloris capitis, quot causæ mediatae, quæ continuum solvere possunt; Cibi-mici ad diversitatem Salis respicientes, immanissimos dolores ad acerrima, mitiores ad benigniora, obtusos ad fatua Salia referunt.

SIGNA διαγνωστικά, proponere. I. RATIONE GENERIS, non adeo necessarium est, siquidem molestissimum hoc symptoma facile exagri relatione & querelâ cognoscitur. Differentiæ etiam facile innotescunt. Futurus tamen in febribus prælagiri potest ex urinis turbatis, quales jumentorum esse solent teste Hipp. 4. aphor. 70.

II. RATIONE SUBJECTI. Manifestum est, an dolor totum an partem occupet. Ad curandi rationem imprimis pertinet, ait Galen. 2. loc. aff. c. 9. cognoscere, an caput afficiatur per essentiam, an per consensum, exinde enim scimus, cui parti remedia applicanda; Minus necessarium scitu asserit, an secundum substantiam, an membranas laboret, primitivè: in utraq; eorū dispositione capiti auxilia adhibere debent. Cognoscitur autem dolor essentialis à continuitate. Συμπαθὴς autem ingravescit & mite-

sest, pro ut intenditur & minuitur prior affectus, qui si est in utero, creditur maximè in sincipite exseri, *secundum Hipp. 6. epid.* si ab hæmorrhoidibus, aut ventriculo, in anteriori : si ex hepate, in dextro : si, à Liene in sinistro latere perferri creditur.

III. RATIONE CAUSÆ, signa necessaria sunt ; Si nulla *πρόφασις* δὲ τῶν ἐξωθεν, dolor erit δὲ τῶν ἐνόντων, Si interna causa, erit intemperies, & quidem SINE MATERIA; cognoscitur à doloris continuitate, & ex prægressis etiam iuvantibus lædentibusq; estq; sine sensu gravitatis. CUM MATERIA si fuerit, cum dolore adest sensus ponderis, præcipuè si adfuerit tumor, qui an calidus sit, an frigidus, facile distingui potest. BILIS, & ex ea excitatus tumor ostenditur à dolore mordicativo, vigiliis, causis bilem generantibus exacerbatione circa meridiem. imò ab omnibus accidentibus conjunctis, quæ enumerat *Hipp. 2. de morbis t. 34. & 35. secundum Salium*, ubi talem dolorem capitis à bile recenset. PIXUITA à dolore pigro, exacerbatione circa noctem, colore albo; MELANCHOLIA à dolore remisso, tarda invasion; SANGUIS à signis plenitudinis indicatur. Causas hos humores producentes, ut & an in capite coacerventur, vel transmittantur; an præcesserint res naturales, an non, aut præter naturam; facile est inquisitione colligere.

PROGNOSTICA SALUTIS. Licet rarò lethalis sit cephalalgia, nisi aliis juncta symptomatibus, quæ recenset *Hipp. 6. aph. 51.* non est tamen contemnenda; facit enim caput infirmum, & ad hanc infirmitatem humorum corruptionem adjungit: terrificaq; est propter excellentiam & dignitatem partis, cujus officio vita careere nequit. Et si consideratur. I. RATIONE GENERIS. Cephalæa periculosissima est, imò si diu duret, Apoplexiæ prænuncia, præcipuè in plethoricis. Vidi post diurnos capitis dolores obortam suffusionem. Notus mihi fuit, cui post gravem cephalæam oculi exorbita ferè elapsi fuerunt. Cephalalgia autem recens minus periculosa. II. RATIONE SUBJECTI variatur etiam periculum, indifferens tamen hoc est in parte dextra, sinistra, antica, postica. Essentialis semper periculosior est, quam sympathicus, qui in essentialem facilè degenerare potest, nisi maturè occurratur. III. RATIONE CAUSÆ, periculosior est, qui oritur ab intemperie materiali, quam immateriali, præcipuè cum à causis externis;

peri-

periculosissimus, qui à vermibus & lapidibus exoritur, imò incurabilis.

LONGITUDINIS ratione. Immaterialis durat exiguo spatio: longius persistit, qui oritur ab intemperie cum materia: longissime qui à vermibus internis fovetur; κεφαλαία omnium cōtumacissima.

MODUS EVENTUS. Ut plurimum solet à naturā adjutā medicamentis superari, si verò medicamentis non cedat, tum grave symptoma metuendum. Hoc innuit Hipp. 6. apb. 51. dum ait: Ὅσοισιν ὑγιαίνουσιν ὀδύνας γίνονται ἐξαίφνης ἐν τῇ κεφαλῇ καὶ παρὰ χρεῖμα ἄφωνοι γίνονται καὶ ῥέγχεσιν, ἀπόλλυνται ἐν ἑπτά ἡμέρησιν, καὶ μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ. Qui valentes capitis doloribus repente tentantur, protinus fiunt muti & stertunt, & intra septem dies moriuntur, nisi febris intervenerit. Ægroti allegati cephalæa terminata fuit in epilepsiam, visus hebetudinem, oris distensionem, mentis emotionem & tandem mortem. Dolor criticus terminatur in febris acutis vel hæmorrhagia narium, sudore, alvi fluxu, nonnunquam etiam excretionē saniei. Sic Hipp. 6. apb. 10. κεφαλὴν πονέοντι περιωδυνέοντι, πύον, ἢ ὕδωρ, ἢ αἷμα ῥυέν κατὰ τὰς ρίνας, ἢ κατὰ τὸ στόμα, ἢ κατὰ τὰ ὦτα, λύει τὸ νόσημα. Ex capite dolenti & vehementer, effusione puris, vel aquæ, vel sanguinis ē naribus aut ore, vel auribus, solet morbus solvi.

CURATIO à Galen. 2. comp. med. s. l. pluribus capitibus absoluitur, nec minùs diligenter eam proponunt Avicenna, Ægineta, Aëtius. Paracelsus paragraphor. lib. 10. suum etiam confert, & quod spectat

METHODUM, observandæ sunt **INDICATIONES** curatoria, præservatoria, Vitalis, quæ omnes eò tendunt, ut **DOLOR SEDETUR**. **SEDANTIA** autem Dolorem sunt in triplici differentia: alia namq; doloris causam, alia dolorem ipsum, alia partem dolore infestatam respiciunt.

QUÆ CAUSAM respiciunt, varia sunt **Indicata PRÆSERVATORIA**. **IMMEDIATA** nullam utilem præbet Indicationem. Si adest **INTEMPERIES**, alteranda per contraria. Si **MATERIA** conjungatur, eaq; fuerit corpulenta & copiosa, indicabit evacuationem, si flatulenta, discussionem. Aliquando, ait Galen. lib. 2. comp.

comp. med. f. l. adeo vehementer in angustiis meatuum flatus vaporosus, atq; eo adhuc magis viscidus crassusve humor impingitur, ut multo tempore ad curationem sit opus: ac sane, quæ sic infarctæ sunt, attenuare oportet, dilatareq; meatus, per quos excernuntur, habita simul providentia, ne quid amplius influat, parsque affecta roboretur, ne superfluum gignat. Evacuatio antecedentis, quæ moveri potest, aut in motu est; sit per universalia: conjunctæ per particularia, et rhina. Si peccaverit primis qualitatibus, alteranda. Si in secundis, crassa attenuanda, viscida detergenda. Humores acres, aut lentiores, crassi, multi, subtilibus poris impacti, vel etiam vaporosi frigidi spiritus, rarefacientibus digerendi. Alterandæ etiam intemperies in partibus hos humores generantibus. Si causæ sunt vulnera, illa attendenda. Eadem materia, si quiescat, mobilis reddenda, si ob crassitiem adhæreat, detergenda; si moveatur, revellenda; si attrahat ratione doloris, aut caloris, hujus causæ removendæ.

DOLOR tollitur illis, quæ jucundam sensationem pariunt, ἡδύσματα quædam facultati sentienti porrigunt, molestæq; sensationi sunt contraria. Talia sunt anodyna propriè dicta, παρηγευτικά, quæ temperato calore prædita, familiaritate Elementorum naturæ partium consentiunt, blando suo calore meatus aperiunt, λεπτομερῆς substantiæ se insinuant, ac omnia æquabilia reddunt.

PARTEM dolore infestatam concernunt, quæ sensationi sunt contraria, partemq; sensu privant, vel eundē **AUFERENDO**, ἄρε suo narcotico, vel manifesta qualitate partium calorem insitum, spiritusq; obnubilando, obfuscando, hebetando: vel **DIVERTENDO** per dolorem alterius loci, *secundum Hipp. 2. apb. 46.* Δύο πόνων ἅμα γινομένων μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον, ὁ σφοδρότερος ἀμαυροῖ τὸν ἕτερον. Duobus doloribus nec eadem parte obortis simul, vehementior minorem obscurat.

VITALIS respicit custodiam virium, quæ conservandæ in toto corpore per alimenta & medicamenta.

MATERIÆ præsidiorum desumuntur ex usitatis fontibus.

I. ΧΕΙΡΟΤΡΗΚΩ. **VENÆ SECTIO** est nobile præsidium in omnibus doloribus, cum materiâ ferè semper: in immaterialibus
nou

non item, nisi ad impedimentum curationis auferendum: *It.* *Sto* si adsit plethora vel cacochymia non solum mista pituitosa, verum etiā biliosa, & Melancholica, ex usu est. Locum indicabit idem sanguis: si æqualiter in toto & capite abundet, aperiatur MEDIANA. Si inæqualiter & major repletio in toto, BASILICA, si major in capite, CEPHALICA aperienda, dextri brachii, si per consensum hepatis; sinistri, si per consensum lienis dolor oriatur: neq; in utile erit Cephalicam manus nonnunquam aperire. Si repletio totius oriatur ab utero vel hæmorrhoidibus, SAPHÆNA, malleolaris, vel sedalis secetur. IN CAPITE si fuerit repletio major, venæ narium vel FRONTIS aperiuntur. Revulsionem in dolore occipitis per venam frontis commendavit *Hipp. 5. aph. 68.* cum eleganter ait: τὰ ὀπίσθεν τῆς κεφαλῆς ὀδυνομένοιῳ, ἢ ἐν μετώπῳ ὄρθῃ φλεψὶ τμηθεῖσαι, ὡφελεία.

APHTHIOTOMIA commendatur à *Galen. de curand. rat. per sang. miss. c. 22.* In temporibus quidem in inflammatione oculorum: Post aures verò in vertiginosis, & iis, qui diuturnis capitis doloribus calidis & spirituosus affliguntur. Et quamvis aneurismatis periculum conjungatur, nonnulliq; *subjungit c. 23.* arterià incubito sectâ interierint, id tamen majoribus solum contigisse, idem à minorum incisione metuendum haud esse: seq; per duo insomnia monitum, feliciter dextræ manus arteriam inter pollicem & indicem aperuisse: Alteri etiam lateris cruciatu decumbenti idem hoc cessisse: alium etiam ex fortuito vulnere arteriæ in malleolo ab ischiade liberatum, & *tandem concludit*: Hæc mihi persuaserunt, ut subinde in summis artubus, imò & in capite arterias secarem in omnibus doloribus, qui à calidâ spirituosaque substantia nasci videbantur, & maximè in membranis.

CUCURBITULÆ scarificatæ ad evacuationem: cæcæ ad revulsionem & flatuum discussionem profunt.

FRICTIONES item & ligaturæ, seu vincula dolorifica extremis injecta non sunt super vacanea, potenter enim revellunt à parte affecta.

FONTICULI sunt materia auxilii evacuantis sensibilibiter, indicanturq; à causa dolorem generante & fovente: Applicari possunt cauterio æquali vel potenciali, & quidem si materia in capite generetur, vel circa concursum suturæ sagittalis & coronalis,

vel, quod salutaris & tutius in cervice, & serone aperti servantur. Si verò aliunde materia mittatur, ratione partium supra vel infra renes positarum, vel in brachiis circa finem deltoidis, vel sylvestri sibiæ, aut internâ femoris parte, observata rectitudine partium mittentium, si placuerit.

VESICANTIA etiam ex cantharidibus, vel ranunculo parata alicui capitis regioni in essentiali admoveri & ulcera aperta servari possunt. Post aures etiam commode admoventur: vesicæ ruptæ, vel forcipe discissæ apertæ folio brassicæ servantur. **INURIA** etiam more antiquitus recepto potest cutis capitis, in summâ parte, nisi æger abhorruerit, & tum non inurenda, sed aliis immorandum.

ΨΑΡΜΑΚΕΙΑ sequitur, quæ in intemperie immateriali absoluitur ferè solis Topicis: In materiali aliis etiam materiis præsidiorum, quæ materiam peccantem universaliter & particulariter, per nares & os evacuandi vim habent, opus est. Quibus postea, quæ caput in essentiali & simul jecur & lienem in sympathico roborare queant, addenda.

EVACUANTIA varia esse possunt:

I. VOMITORIA omnino necessaria sunt, si per consensum ventriculi caput doleat, humoresque crudi circa orificium superius hæreant. **PLACIDISSIMUM** erit jus tepidum gallinæ pinguis, cum oleo amygdalarum dulcium vel cum succo raphani, aut oxymelite. **VALIDIUS** exhiberi potest, ex decocto foliorum menthæ, origani, in quo dissolutum est **DIAASARUM** Fernelii ad drachm. dimid. In materia validius impacta confugere possumus ad **MANNAM** vomitoriorum, à *Quercetano in tetrade* commendatam, quæ commode adhiberi potest in conserva rosarum, vel jure pulli. **AQUA BENEDICTA** Rulandi ex vitro Antimonii itidem probatur.

II ALVUM SUBDUCENTIA per os exhiberi solita primò possunt esse

LENIENTIA, quibus stimuli loco purgantia in minori dosi interdum adduntur.

INBILIOSA Conveniunt:

℞ Pulp. tamarind. ʒβ.
myrobal. citrin. ʒij.
radic. cichor.

℞ Cass. novit. extr. ʒv.
electuer. diasebest. sine
scammon.

Por-

Sorzon.
 pœon. a. ʒiij.
 Sem. anis. ʒj.
 flor. rofar.
 violar. a. p. ij.
 Coq. in suff. q. aq. majoran.
 Colaturæ ʒiij adde
 Syr. cichor. cum Rhab. ʒʒ.
 Cremor. ♀. ʒj.
 ♀ ♂ ti ʒj
 M.F. potio pro una dosi.

diaprun. solut. a. ʒij.
 eremor. ♀. ʒʒ.
 ♀ ♂ ti. g. x.
 Sacch. q. f.
 Misce
 F. Bolus.
 Crem. ♀. ʒʒ.
 diagr. ḡ. vj.
 ol. citri g. ij.
 In chartâ detur
 pro una dosi.

ALOE bili educendæ medicamentum est conveniens, assumitur variis modis. HIERÆPICRÆ Galeni propter amarorem usus ferè desiit, ægroti enim teneriores averfantur. Celeberrimæ sunt PILLULÆ ALOETICÆ paratæ cum succo rofar. violar. ter vel novies infuso, vel etiam cum aqua endiv. circumferuntur sub nomine Aquapendentis, & Angelicarum Francofortensium. Alio etiam modo parari possunt.

℞ Aloës foccot. pellucid. ʒʒ.
 Succin. flav. puriss. ʒʒ.
 mastic. in gran. ʒj.
 extract. Verben.
 flor pœon.
 Magist. ♀. ♂ ti a. ʒʒ

Cum Syrup. betonic. M. in massam, servetur in vesica, de qua in actu curationis & præservationis sumi possunt ʒʒ. ʒj vel ʒʒ. pro vice. TEMPUS imitati *Aeginetam lib. 7. c. 4.* & rationis normam, commodum ante prandium vel coenam horâ unâ vel dimidiâ, estimamus.

IN PITUITOSA CACOCHYMIA MANNA decoctis addenda, ALOES etiam usus proficuius.

℞ Radic. ireos flor.
 pœon. a. ʒj.
 fol. organ.
 menth. a. p. ʒij
 verben. p. iij

Sem. dauci Cretic. ʒj.
 Coq. in suff. q. aq. beton.
 Colatur. ʒ v. adde
 manna ʒ ij dissolvatur
 colatura per linteum,

flo.

flor. ros. rubr. p. ij.

ex hibeatur pro una dosi.

IN MELANCHOLICA MYROBALANI INDI NIGRI
addendi decoctis: & aliis medicamentis negotium urgendum.

Rx Elect. lenit. ʒß.

diagr. ʒ. iij

♀ ♂ ti ʒ. viij.

Sacch. q. s. F. Bolus.

Hæc tamen lenientia cum cacochymia ut plurimum sit mi-
sta, rarò sola & seorsim, sed cum aliis alternatim mista exhibenda,
& sæpè varianda sunt.

PRÆPARANTIA his succenturianda. GENERALIA ex ♀ pa-
rantur, cremor, crystalli, Magisterium ♀ ♂ ti vulgare, Lunare o-
mnibus palmam præripit. MISTURA SIMPLEX, seu Spiritus Dia-
phoreticus, in peracutis, Paracelsi, ad generalia digerentia relatus
commodior est in pituitosa, quam biliosa colluvie.

BILEM IN CAPITE communiter præparamus decoctis &
aquis destillatis cephalicorum frigidorum, cum eorundem Syru-
pis, quæ si subministretur à jecoris intemperie, cichoraceis mi-
scentur.

Rx. Aq. beton.

Rx Succin. pp:

pœon. a. ʒj.

Corall: rubr. pp:

Syrup. de nymph.

Crystall: ♀ a. ʒß.

papav. a. ʒij

Olei anis.

Tinctur. fl. pœon. ʒß.

citri a. g. ij

M. Pro haustu.

In charta detur. pro 2. dosi.

PITUITAM præparant IN ESSENTIALI Syrup. de beton.
simplex, compositus, cum aquis & decoctis cephalicorum calido-
rum. IN SYMPATHICO alia, quæ vel ventriculum vel jecur
respiciunt, addenda.

Rx Aq. Carfunc. aur. ʒiij

Rx. fæcul. ari

verben. ʒj.

bryon. a. ʒß

Syrup. beton. ʒß.

⊖ fraxin.

mistur. simpl. Theriac. ♂ lata

absinth. a. ʒ. v.

♀ lata camphorata ʒß.

cinam.

Tinctur. Lunæ g. vj

caryoph. a. ʒ. ij

Misce

Succin. ʒ. iij

Pro

Pro haustu

In charta det. pro duob. dof.

MELANCHOLIAM præparant in capite Syrup. de borrag.
buglos. stœchad. quibus si lien vel epar in vitio, Syrup. de fumar.
ceterach, byzantin. de pomis Borsdorffian. vel horum succus ad-
dendus.

Rx. Syrup. borrag.
stœchad. Arab. a. ʒß.
Spir. lilior. convall. ʒj.
♀ rectif. ʒij
aq. beton.
major. a. ʒj
Misce.
F. Potio

Rx. pulv. cachect. Querc. ʒß.
Magister. perlar.
corallor.
fœcul. rad. ireos
pœon. a. ʒß
M. pro digestivo in sympa-
thico dolore per consens.
hypoch. ad 4. doses.

VINAMEDICATA ex cephalicis, etiam chalybeata, urgente
necessitate, viscerum imbecillitate suadente, his conjungi queunt.
PURGANTIA succedunt & PRIMO INCAUSA BILIOSA.

Rx. flor. stœch. Arab.
violar.
rosar. a. p. ij
Rhab. opt. ʒij
pulp. tamarind. ʒß.
mirobolan. citr. ʒ iij.
Sem. anis.
pœon. a. ʒß.
Coq. inf. q. aq. font.
Colat ʒ iij adde
Syrup. violar. solut.
cichor. cum Rhab. a. ʒß.
elect. rofat. Mes. ʒj
M. Pro potione.

Rx. Extr. scam. cum Sp. Vinâ
& sant. parat. ʒ. Xj.
Crem. ♀ ʒß.
olei cinam. g. ij. M.
Rx. pill. de trib. ʒß
extr. Rhab. ʒj.
ol. anis. g. ij.
diagryd. ʒ iij.
Syrup. diafer. q. s. F. pill. XXI.
dentur in pyxide.
Rx. spec. diaturb. cum Rhab. ʒß.
fœcul. pœon. ʒ. iij.
Syrup. de endiv. parum
M. add. sacch. F. bolus exiguo

IN PITUITOSA convenit Agaricus simplex, trochis-
tus, Mechoacanna, Gialapium, Hermodactylus, Turbith, Colo-
cynthis.

Rx. Mechoac. alb. non carios. Rx. Gialap. nigr. resin. ʒß. vel
gialap. nigr. resin. a. ʒij. mechoac. ʒ. iij (ʒ. XV.
Tur-

Turbith alb. gummos. ʒj.

flor. pœon.

rosar.

beton.

anthos

prim. ver. a. p. ij.

lilior. conv. p. iij.

ZZber. ḡ. v.

cinam.

spicæ a. ʒj.

Schænanth. ʒß.

Coq. in f. q. aq. beton.

Colat. ʒ iij

adde

extr. gialap. ḡ. vj.

Syrup. de spin. Cerv. ʒß.

M. F. potio.

IN MELANCHOLIA profunt Epithymum, Polypodium,

Sena, Helleborus niger.

Rx. Senæ Alexandr. f. f. ʒß

epithym. ʒij

fibrar. helleb. nigr. pp. ʒj.

flor. borrag.

bugloss.

prim. ver. a. p. ij

Coq. in suff. q. aq. beton.

Colaturæ ʒ iij

adde

extr. helleb. ḡ. ij.

syrup. de fumar.

oxymelit. helleborat. a. ʒiij.

M. F. haustus.

Quæ omnia urgente necessitate, & si viscera certa PRAVOS

ALIOS HUMORES vel etiam SEROSAM COLLUVIEM sup.
peditent, variare, dirigentibus & corrigentibus appropriatis, infor-
ma decocti, cerevisiæ, seri, vini Medicati, alterantis & purgantis
moderari decet.

ol. anis.

anth. a. ḡ. ij.

M. in charta detur.

Rx. Pillul. de hermodact.

cochiar. a. ʒj.

trochisc. alhandal. ḡ. v.

ol. cinam.

citri a. ḡ. iij.

Cum syrup. beton. q. f. M. F.

pill. XV deargentatæ dent.

in pyxide.

Rx. spec. diaturb. cum Rhab. ʒß.

gialap. nigr. resino. ḡ. viij.

fæcul. pœon. ḡ. vj.

Conserv. rosar. ʒtar. ʒj.

fæch. parum

M. F. Bolus.

Rx. Extr. helleb. nigr. ḡ. vij

fol. Senæ. ḡ. iij

panchym. Croll. ʒß. ʒj.

olei fæn. ḡ. iij

c. Syr. beton. M. F. pill. XIX.

Rx. extr. diacathol. Theophr. ʒß.

olei anis.

fænic. a. ḡ. ij.

Cum syrup. de polypodio

M. F. pill. XV.

Rx. Pulv. laxativ. è foliis senæ

Montagnanæ ʒß. vel. ʒij.

In charta detur.

Rx. Herç

Rx. Herb. origan.ⁿ
 major.
 betonic. a. M. ℞.
 flor. anthos. p. vj.
 pœonia p. v.
 chamæm. Rom. p. viij
 Sem. anis.
 ocymi a. 3j.
 Senæ Alexandr. f. f. 3j.

turpeth. alb. gumm. 3ij.
 agaric. trochisc. 3j
 Rhab. elect. 3j ℞.
 cinam. 3j.
 caryoph. 3℞.
 ☉. in cella per deliq. parat
 vel c. aq. major. liquefacti 3j
 Concis. contus. f. a.
 Dentur ad chartam.

Consuta in linteo subtili, suspendantur in vini Canth. ij
 vel iij. de quo bibat æger singulis diebus haustum unum vel alte-
 rum.

III. SUDORIFERA & DIURETICA in dolore essentia-
 li minus, in sympathico magis necessaria sunt, præcipuè si epar-
 & totum corpus fomitem subministrant. DECOCTUM *ιδρω-
 ζου* in quacunq; colluvie humorosa aut flatuosa tale esse pot-
 est.

Rx. Scobis lign. sanct. 3iij.
 sassaf. 3ij
 Cortic. ligni 3℞.
 Infundant. per 24. hor. in
 Aq. font. ℥ iij.
 Coq. ad consumpt. ℥ j.
 Colaturæ adde

Tinctur. rosar. ☉æ cum
 aq. major. & sacch. par. ℥℞.
 In fictil. trib. detur de quo
 sumat singul. dieb. hor. mat. 3vj.

Idem decoctum variari potest adjectis dirigentibus speci-
 ficis cephalicis. SUDOR hic jucundioribus evocari potest, ut
 Spiritu Ligni Sancti. C. C. Sanguinis humani, qui in exigua quan-
 titate magnas obtinent vires.

PARTICULARITER etiam caput vacuandum. MASTICA-
 TORIUM egregium præbent grana Mastice dentibus comminuta
 per se, vel cum Zinzibere, mace, radic. pyrethri, sinapi pulverisatâ &
 cerâ excepta. ERRHINUM est succus majoranæ, Betæ, cum aquis
 earum.

& sudet in laconico per di-
 mid. hor.
 Rx. reliquias decocti prædicti,
 cortic. lign. 3j.
 passul. minor. 3℞.
 Coq. in suff. q. aq. font.
 colaturæ ℥ v. adde
 Syrup. beton.

f. chamæm. a. 3℞
 M. in fictil. duob. pro potu
 ordinario in prand. & coena.

earundem. STERNUTATIO commodissimè excitatur florib. lilior. convall. exsiccatis & pulverisatis, per nares attractis. FUMUS TABACI INDICI prius olei anisi guttis aliquot irrorati & per tubulum bis vel ter curriculo septimanæ attractus, cerebrum liberat à serositatibus, flatusq; discutiendo dolorem sedare in adfuetis solet.

ALTERANTIA INTERNA IN CAUSA BILIOSA sunt cephalica frigida, in essentiali: quibus in sympathico hepatica, stomachica, & uterina addenda.

Rx. Conserv. violar.
primul. ver.
fl. nymph.
cichor.
rosar. rubr. a. ʒiij.
nuc. jugland. cond. no. j.
Lactuc. Ital. condit.
Scorzoner. condit.

IN CAUSA PITUITOSA magis calefacientia eligenda.

Rx. Rad. Chinæ
sarsapar.
pœon.
ireos a. ʒij.
lign. sassafr. ʒj.
Summ. origan. p.v.
passular. min. ʒß.
flor. stæchad. Arab. p. iiij.
conserv. primul. ver.
fl. chamæm. Rom.
anthos. a. ʒv.
Coq. in suff. q. aq. font.
Colaturæ Canth. j. adde
Syrup. cerasor. & tunic. ʒij.
Tinctur. violar. ʒtæ ʒiij.
Detur in duobus fictilibus
& exhibeatur haustus singulis ante & pomeridian. horis.

corallor. pp:
Magist. perlar. a. ʒß.
eboris usti ʒ. x.
cum Syrup. pœon. q. s. & Sp.
ʒli par.
Misce F. electuarium, quod
detur, quantitate nucis
iuglandis.

Rx. Conserv. fl. stæchad.
prim. ver.
pœon.
anthos.
maioran. a. ʒiij
Sp. diamb.
Diamosch. dulc. a. ʒj.
cortic. aurant. condit.
citri. condit. a. ʒß
extra. maior.
helenii. a. ʒ. ij
Sp. lilior. convall. ʒij
Cum syrup. de stæchad.
Arab. & tinctura
violar. ad gratum acorem
M. F. Electuarium, sumendum
quantitate nucis juglandis.

IN

℞. Spec. diambri.
 diamosch. dulc. a. ʒß.
 fuccin. flav.
 Caryoph.
 cinam.
 gran. parad. a. ʒj.
 extr. acori ver.
 Ireos flor. a. ḡ. v.
 verbenæ ḡ. viij.
 Cortic. aurant. cond.
 ZZber. cond. a. ʒj.
 Conserv. flor. anthos.
 majoran.

salviæ a. ʒ. j
 Sacch. alb. ʒ soluti in
 aq. flor. chamæm.
 verben. a. q. f.
 add. sub finem
 Ol. ligni guajac.
 corylin.
 bux. a. g. ij.
 citri. g. iij.
 M. F. Morfelli
 dentur in scatula.
 Exhiberi possunt mane & vesperi
 pro Medici & ægri arbitrio.

IN CAUSA MELANCHOLICA humectantia & moderate calefacientia profunt.

℞. amygd. dulc. ambros. ex
 cort. ʒiij.
 nucl. malor. armeniac. n. v.
 Sem. melon.
 papav. albi. a. ʒj.
 Aq. rosar.
 bugloss. a. ʒvj.
 carfunc. aur. ʒj.

Emulsioni s. a. paratæ adde
 C. C. usti crudi ʒjß
 philosoph. calcin. ʒß.
 Magist. perlar. ḡ. vj.
 corallor.
 oculor. cancr. a. ḡ. X.
 M. pro haustu ad aliquot
 doses.

IN SEROSA COLUVIE hæc miscenda, & ad spiritus olei & Salis ligni Guajaci, hebeni dosim exaltandam animus convertendus.

IN FLATUOSA CAUSA Rotulæ parentur ex spec. diacymini ad ʒj. anisi oleo ad ʒß. cum sacch. in aq. flor. Sambuc. ad ʒiij. soluto. THERIACÆ usus diuturnus etiam prodest, sumitur per se, vel cum conservis cephalicis. DOLOREM capitis ex utero Castoreum sedare tradidit Hipp. & experientia confirmat.

IN SIGNITER promiscue ferè omnibus cephalalgis obviam eunt & medentur quædam à PROPRIETATE: quædam *ναρκώσας*. SPIRITUM Oli philosophicum, oleum succini & majoran. ad quinq; vel sex guttas in vino exhibitum, ut & Verbenam à Galeno 2. comp. med. s. l. cap. i. laudatam, ejusq; aquam ad ʒiij.

D

potam

potam cum Spiritus Oli correcti guttis X. singulariter prodesse
ajunt.

AD NARCOTICA ubi dolor haud dat inducias, ceu ad
facram anchoram in hisce casibus omnibus confugere licet. Lau-
danum opiatum *Crollii* cum Spiritu Vini; vel *Quercetani*, cum
acidis liquoribus, succo citri, aceto destillato; ut & *Nepenthes*
Quercetani ex Δ . Oli anodyno putato paratum ad g. ij. iij. vel in
conservâ rosarum, aut emulsione amygdalar. dulcium, aut semi-
num papav. forma pil. exhibitum expectationem omnem fatiat.

EXTERIUS conveniunt, quæ habent vim contrariam in-
temperiem capiti inducendi, roborandi, illius vapores salinos,
Preos, tincturasq; domandi, sensumq; stupefaciendi: quibus so-
lis cū diœta junctis dolores capitis immateriales à causis externis
producti curari solent. *Galen. 2. compos. med. s. l. c. 1.* inter alia,
commendat OLEUM rosaceum, ubi magna refrigeratione opus:
chamomelinum, ubi minori. Frigidum si adhibeatur, vehemen-
ter auxiliatur, adeo ut in sexcentis hoc remedio usus nullo alio
opus habuerit. Applicandum autem est in syncipite. OXYR-
RHODINA, quæ parantur ex oleo & aqua rosacea, antiquis etiam
fuere in usu. Hodie frequentius præscribuntur EPITHEMATA
in causa calida.

Rx. Aq. flor. persic.
rosar.
verbenæ
nymphæ a. ʒij
aceti rosati. ʒiij
Camphor. ḡ. ij.
O prunell. ʒj.
Fiat
Epithema
cui opium ad ḡ. v.
in Sp. Vini solutum.
jungi potest.

Rx. Sem. pap. albi ʒij

nucl. persic. exc. ʒj.
aq. Solani ʒij
Emulsio. s. a. par. adde
Unguent. populeon.
alabastrin. a. ʒij
croci orient. ḡ. ij
F. Unguent. super igne, eva-
porata aquo sitate cui opium
etiam jungi potest.

Rx. Unguent. Alabastr. loti ʒij
Aq. melilot. ʒiij.
extr. croci ḡ. v.
olei succin. destill.

lavend.

lavend.

anif. a. g. iij

M. F. unguendum illinen.

dum vertici & temporibus, anodynum est infigne.

Paracelsus laudat succum cancrorum fluviatilium expressum temporibus applicatum. VERBENA, Semper vivum majus ceu singulare specificum applicatur cervici, occipiti in substantia & succo.

IN CAUSA FRIGIDA doloribus urgentibus SPIRITUS VINI Alcoholisatus vel solus, vel virtute cephalicorum, majoranæ rutæ, verbenæ per digestionem imprægnatus, linteis exceptus, fronti & temporibus applicari potest. Pulvis ZEDOARIÆ cum aqua florum Sambuci fronti imponi solet cum juvamine.

CUCUPHÆ & BALNEA capitis ex herbis, vel LIXIVIA earundem, ut & STILLICIDIA thermarum Δ rearum in antiquis & frigidis doloribus usui esse queunt. GALLINA per medium dissecta & capiti applicata: ut & vesica bubula lacte referta calido materiam $\kappa\alpha\pi\eta\beta\alpha\epsilon\mu\lambda\omega$ digerit.

R. Herbar. verben.

majoran.

salviæ a. M. β

Gumm. hederæ.

masticis

animæ.]

olibani

tacamah. a. $3j$.

nuc mosch. no. ij.

macis

galang. a. 3β .

Sem. ocymi.

dauci Cretici.

anif. a. $\mathfrak{z}ij$

nigell. $\mathfrak{z}iiij$

flor. Chamæ. Rom. p viij.

Concis. & contus. omnib. f. a.

Intersperge ol. cinam.

citr.

anthos.

angelic. a. g. iiii.

Consuantur in cucupha ex sine rubro parata, quæ in causa frigida quotidie gestetur.

Si per consensum aliarum partium oriatur dolor, illæ etiam roborandæ & alterandæ.

DIÆTA his omnibus proportionem respondeat. AER in causa frigida sit calidus, arte & natura factus, sit serenus, liber, procul à strepitu remotus. CIBUS sit paucus & facilis nutritionis, tempore accessionis in cephalalgia confortans, tempore præservationis plenior aliquantum. In causa frigida parcus & attenuans,

in

in calida plenior refrigerans, humectans. Cremor prifanæ, juscula convenientibus herbis & oleribus temperata, elixæ pullo-
rum carnes, acidorum, ut berberorum, aurantiorum & limo-
num succo conditæ adsint. Caveat æger à cibis vaporosis, præci-
pue lacte, quod hypochondria attollit, & vaporibus caput replet,
secundum Hipp. 5. aph. 64. Γάλα δίδοναι κεφαλαλγέσι, κακόν.
Lac præbere capite dolentibus, malum. Galen. in comm. docet ea-
quæ Hipp. hausto lacte accidere recenset, quotidiano utentium,
usu, & experienciâ omnibus manifestâ, imò etiam ante experien-
tiam cognosci. Cum enim sanis lac capitis moveat dolorem,
illis, quibus jam doleat caput, omninò adversissimum erit, & Ga-
len. itidem 3. de aliment. facultat. lac capiti minime utile esse tradit,
nisi valenti: ejusque rei ratio hæc est: quod lac sit nidorosum,
facile evaporet, caputq; petat. Notabilis est sententia Hipp. 2. epi-
dem. sect. 6. ἢν ἐκ κραιπάλης κεφαλὴν αἰλγέῃ, εἶνε ἀκρήτῃ κοτύ-
λῳ πείν. ἢν δ' ἄλλως κεφαλὴν αἰλγέῃ, ἄρτῳ ὡς θερμότερον σὺν
οἶνῳ ἀκρήτῳ ἐοδίειν. Loquitur de dolore capitis orto ex crudita-
te hesternæ crapulæ, quam emendat haustus vini, unciarum octo,
vel novem circiter mensura: quæ enim mala suæ substantiæ te-
nuis copia invexit, eadem sua qualitate tollit calefaciendo &
ex siccando. Jejunium etiam noxium esse alibi docuerat: Νη-
σεῖν πονηρὸν πρὸς τὴν κεφαλαλγίαν καὶ κραιπάλην. Cibus enim
humorum acrimonia retunditur, qui vapores in caput sublevant,
& jejunio exasperantur. Semiustulati etiam panis offa vino in-
tincta alios etiam dolores capitis ex humorum inventriculi ore
infarctorum corruptela tollit. Potus sit cerevisia mediocris.
SOMNUS in Intemperie immateriali à causis externis præsertim,
introducitur sit largior, nequè in materiali ipsi aliquid detrahatur.
In dolore essentiali caput elevatum teneatur altius, quam
in dolore per consensum partium infernarum. DE EXCERCI-
TIO ante cibum per horam vehementiori, post cibum per duas,
tres horas remissiori præceptum à Galen. 2. comp. med. s. l. c. i. pro-
positum, magnâ indiget limitatione. IN EXCRETIS alvus
quotidie respondeat, & in omnibus affectibus debita adhibea-
tur moderatio.

